

primus fundit sanguinem, & dat vitam: piscis iste primus offert aurum, quod est nobilissimus sanguis, & charissima hominis vita. Prima ergo auri oblatio perbellè exprimit primò effusum martyrio sanguinem, ac vitam.

89. Ambros.

Oratio pro inimicis pretiosus census aureus Iesu.

Quintò. D. Ambrosius lib. 5. Exam. cap. 6. Misit Petrus retia, ait, & complexus est Stephanum, qui de Evangelio primus ascendit, habens in ore suo staterem iustitia. Pro hoc pisce stabat Iesus, sciebat enim, esse in ore suo pretium sui census. Cur sub huius piscis typo intelligitur Stephanus, qui primus de Evangelij sagena per martyrium ad regna caelorum ascendit; & quomodo ab eius ore educitur aureus nummus? Erat in ore Stephani Oratio pro inimicis, qua de aduersariorum hostilitate ingentia lucra percipiebat, omnèque referebat Christianum talentum. Expende illud pretium sui census. Et si alij habeant census suos in vineis, oliuetis, ac thesauris; Iesus vero habet census suos in inimicorum venia, qua à sanctis offertur ei.

90.

Tributa ne crudelitate extorqueantur.

Sextò. Piscis tributum defert, non intra viscera, sed in ore: nonne melius esset, illud in ventre portare? potuit enim deglutire gestareque in aluo? Piscis iste, vt iam dixi in solutione 4. hamo extrahitur, statim, ac monetam euomit, Christo sic disponente, solutus est, ac mare adire permittitur: si autem staterem reclusisset in ventre, euiscerandus esset, vt tributum extraheretur. Ergo prehensus hic piscis macandus non est, cum omnes, qui capiuntur, enecentur. Hoc magno documento nos voluit Dominus informare, quòd eum, à quo tributum extorquetur, cruentare, Dei ministrorum non est. Tributòrū exactores ne nimia crudelitate excoriet eos, quòrum bona expiscantur, & à quo exiguntur, sic soluar reddens, vt non pereat, nec suffocari videatur. Dedignantur enim pecunia, suorum sanguine conspersa, principes.

91.

Tributum saepe cibis ex ore extrahitur.

Septimò. Nummus hic de piscis ore extrahitur, vt tributum soluatur. Cur non praepratur aliqua marina bellua, vt manibus illud deferat; sed ab ore piscis eruitur? O quam frequenter, cum tributum exigitur, cibus ex ore plebiculae extrahitur, & tributum, quod soluatur, potius ex ore, quam è manu cadit.

92.

Deuter. 17.

Tributum sit unum, & non multiplex.

Philo.

Hinc mandauit Deus Israel, quòd, cum accederet ad aliquam ciuitatem expugnandam, si acceperint pacem eius, Cumulus populis, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Deuter. 20. num. 11. Cur non iubetur, vt hostis in seruitutem redactus, seruiat sub tributis, sed sub tributo? Dei dispositio, vt vnum sit tributum singulare, non vero multiplex, ne nimis vexetur populus, ac inopia, & fame torqueatur. Philo in loco docet, bonos esse principes, Qui suis parcent provincialibus, vno contenti tributo, ne subditos redigant cito ad extremam inopiam.

QUESTIO XII.

Quare Dominus pro se, & Petro, & non etiam pro aliis Apostolis mandat soluere tributum?

93.

Lucas. Burgenf.

Facile poterat illa pecunia comparari, qua Dominus pro se, & Petro, ac etiam aliis Apostolis solueret: cum omnibus venit Dominus Capharnaum, vbi tributum exigebatur: Cur non pro omnibus soluit? Lucas Burgenf. ait, quòd alij Discipuli excusati sunt à solutione tributi titulo

inopia. Abulensis vero quæst. 200. quod pro aliis Discipulis solum est ex communibus localis, quos portabat Iudas; vel ex eleemosynis amicorum. Matthæus autem solum narrat inuentum per miraculum in ore piscis, quod Dominus pro se, & Petro soluere voluit, ostendens se omnium dominatorem, & Legi minime esse subiectum, sed liberum, vt dixi supra q. 9. in principio. Vel tertio, vt ait Lyranus, ad tributum solum obligabantur capita familiarum; non autem singuli de familia, vt erant Apostoli, Petro excepto, de quo statim.

Abulens.

Lyran.

94.

Abulens. Malachi 8. Luc. 4.

Origem.

Hieron.

Paschalis.

Chryso.

Petri humilitas in suo honore abscondendo.

95.

Chryso.

Per fidem, ac obedientiam euehitur homo ad diuina.

96.

August.

Prælati est, subditorum onera ferre.

97.

Hieron.

Esti interum virtute emineas, in exterioribus conformare cum aliis.

Primò. Dominus pro se, & Petro soluit tributum; tum quia Petrus huius exactionis, ac solutionis erat minister; tum etiam quia Petrus domum, & familiam habebat Capharnaum, vt ait Abulens. & patet Matth. 8. n. 5 & 14. Luc. 4. n. 31. & 33. tum etiam honoris causa, vt innueret, à se destinatum cæterorum Apostolorum caput, ac principem, & ipsum suæ familiæ, ac Ecclesiæ esse constitutum Vicarium, vt commentantur Origenes, Hieronymus, Paschasius, ac Chryso. homil. 59. Da eis pro me, & te, inquit, Vidisti honoris excellentiam? Vide nunc quanta philosophia vititur Petrus, hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hic honor magistro deferrebat; sed negationem quidem ille quoque diligentissime scripsit. Hæc vero, que ad Magistri laudem pertinent, ipso forsitan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino soluit.

Secundò. D. Chryso. citato loco. Miraris, ait, Christi potentiam: mirare etiam Discipuli fidem, qui ad rem natura incredibilem illico paruit: fidei retributionem confestim habuit, Christo in solutione tributi conuictus. Petrus præclara fide, ac obedientia enituit: nam re tam difficili, supra naturæ cursum, non dubitat, nec cunctatur, sed statim Domini mandatum exequitur. Inde dignus inuentus est, vt cuiusdam veluti æqualitatis cum Deo particeps fieret in redditione tributi.

Tertio. D. August. q. 75. ex Nouo Testamento. Saluator, inquit, cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur; quia sicut in Salvatore erant omnes cause magisterij, ita & post saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis dominici. Cur singillatim Christus, ac Petrus, non verò alij Discipuli tributa solunt? Multi hoc ad insignem Petri dignitatem referunt, quam Christus quodammodo patrem suæ dignitati effecit: potius tamen referendum existimo ad Petri munus; quod proprium Prælatorum sit, subditorum onera ferre, ac pro ipsis debita tributa persolvere: & dum Petrus pastor dominici gregis pro se tributum pendit, pro omni grege soluit.

Quartò. D. Hieronymus in præsent. Pulchrè, ait, illud ipsum quidem datur pretium; sed diuisum est, quia pro Petro quasi pro peccatore pretium reddebatur; Dominus autem noster peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ostenditur autem similitudo carnis, duo eodem, & Dominus, & seruus, pretio liberantur. Valdè mirabile, quòd pro Domino & Petro æquale pendatur tributum; cum tamen Christus, vt Dei filius naturalis, sit liber; alter vero, scilicet, Petrus, sit homo vetricialis, & saltem ex sua conditione subditus; Da eis, vt non scandalizemus eos. Vt obuiaret scandalis, ab externis actionibus non vult diuinus Magister discrepare, etsi interna virtute multum ab aliis distinguatur. In soluendo tributo seruulo assimilatur, cum in vetricialis debito multum distet à seruo. Vt suo exemplo

ALTER TEXTVS.

Marc 9. n. 31. Et venerunt Capharnaum.

Qui, cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaauerant, quis eorum maior esset.

Lucæ 9. n. 46. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

EXPOSITIO I.



VM Dominus concomitantibus Discipulis peteret Capharnaum, in ipsa via altercarunt Discipuli, quis eorum cæteris esset maior, vt narrat D. Marcus; cumque essent domi, milit Iesus Petrum ad mare, vt piscem expiscaretur, & tributum solueret, vt vidimus sup. cap. Cum Petrus, repedito tributo, domum redisset, & adessent omnes duodecim, vt patet ex 9. Marc. num. 34. quæsiuit ab eis Christus: Quid in via tractabatis? At illi verecundia suffusi tacerunt, & merito, quod in comitatu tam humilis Magistri de primatu contenderent. Postea verò, vt scribit D. Lucas, Intrauit in eos cogitatio, quis eorum esset maior. Cumque ipsi considerassent, cogitationes suas Christo esse apertas: & notas, ac ei minime posse abscondi, hanc quæstionem ponunt. Ex quo rectè inferunt D. Chryso. homil. 59. in Matth. Euthymius, Theophylactus, D. Paschasius, Apostolos, cum adhuc essent imperfecti, saepe ambitione fuisse adulos, tum in via, tum etiam in domo.

In illa hora, frequens Hebraismus est, & significat sub idem tempus, quo erat Iesus Capharnaum domi. Accesserunt Discipuli, duodecim nempe Apostoli, vt colligitur ex Marc 9. num. 34. Quis maior est, seu, vt habet Syriacus, Quisnam maximus est. Et quamuis inter eos esset disputatio, & cogitatio, Quis eorum esset maior; tamen coram diuino Magistro non dicunt: Quis nostrum maior est; sed modestius loquuntur; ac propositionem vniuersalem ponunt, & absolute, Quis maior est? Et cum hæc quæstio ex privilegijs Petri orta esset, tamen, vt notat Chryso. citatus, Veriti turbationem profiteri suam, non aperte, quare Petrum ipsis præponeret, sed confuse, Quis ergo maior est, interrogant. Vt sic magis suam imperfectionem abscondant, & maiorem modestiam coram Magistro ostendant, ac aliqualem erga Petrum exhibeant reuerentiam, eius nomen suppressentes. Et notandum, quòd Apostoli stimulati ex fauoribus Petri hanc quæstionem excitant, vt iuxta multos Patres infra dicam quæst. 5. Tamen illam non proponunt suo Magistro, cum Petrus in piscatione esset absens, sed cum ipse præsens adesset, vt modo supra notauimus. O quantum distat hoc ingenium à conditione hominum huius sæculi, qui etsi dona aliis concesso, in eorum præsentia applaudant, illa verò, in eorum absentia maligne corrodunt. In regno calorum, hoc est in regno Messia, seu in Ecclesia, quæ ab ipso instruebatur; & consequenter deinde in regno ca-

pro nos Dominus informaret, quòd etsi internis donis superiores aliis simus; externis tamen actionibus, & scandala deuitetur, ab aliis minime declinemus, sed cum illis, quantum fas est, conformemur.

98. Hieronym.

Quintò. Eadem verba D. Hieronymi iterum premo. Eodem pretio Dominus, & seruus liberantur. Si à solo Christo didrachma, id est duo regales exiguntur, cur etiam aliud didrachma, seu alij duo regales pro Petro soluuntur; nam vnus stater continebat duplex didrachma, id est quatuor regales, vt ait, Glossa apud Catenam D. Thomæ, Conseruendo erat, vt vnusquisque pro se didrachma solueret; stater verò est pondus duorum didrachmorum. Cur ergo pro Petro soluatur, cum pro ipso non exigatur? Et cur non distincta moneta, sed vna eadem cum Domino. Eodem pretio Dominus, & seruus liberantur. Vnus stater, non verò duo didrachma, in ore piscis reperitur, vt idem indiuiduum pretium pro vtroque soluatur; vt inde discamus, quòd in eo, quòd Christo obsequia præstamus, nobilmet ipsis benefacimus. Cum Petrus pro Christo soluit, sibi met subuenit, ac consulit, suoque debito satisficit, à quo absolutus manet.

Qua in Dei obsequium damus, nobis proficimus.

99.

Vrgente Saulis furore fugit David ad Achimelech, dissimulata sui aduentus causa, à sacerdote panes, & gladium petit, qui illi dixit: Ecce hic gladius Goliath Philisthai, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod, si istum vis tollere, tolle. 1. Reg. 21. num. 9. Cur statim David ait. Non est huic alter similis, da mihi eum. Cur gladius Goliath ita extollitur, vt nullus aptior putetur; nam forsitan ex tanta temporis diuturnitate otiosus tubiginem contraxisset; vel ex ingulato Gigante acies eius retusa, & hebetata esset: quomodo ergo præ cæteris illum probiorem existimaret? Parta victoria David Goliath gladium Deo consecrauit, ac in Domini tabernaculo posuit; indeque ipse gladius ad eius vitæ tutelam aptior est inuentus: quæ enim Deo dedit, sibi maxime in suum adiuuam retinuit, vt nil aptius ei adesset in sui auxilium. D. Basilius Seleucus Orat. 15.

1. Reg. 21.

Qua Deo consecramus, nobis sunt utilia.

Basili. Seleuc.

David omnia gratia tribuit, ait, neque gladium infert in pugnam, inermis pugnat, sublato Goliath gladio, gladius dominum diuidit, armis in vsu debitis versis. Qui totam pugnam ad Dei gloriam, & obsequium destinabat, in ipsa pugna inuenit arma in vsu debitos suos.



CAPVT X.

Maior in Regno calorum.

Matthæi 18. In illa hora accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno calorum?

VERSIONES.

D. Hilar Orig. In illa die accesserunt. Vatablus. In illo tempore. Syriacus. Et inquit: Quisnam est maximus in regno calorum?



lorum, seu Patria, ad hoc enim regnum Christus dirigit sermonem. num. 3.

QVÆSTIO I.

Quare Discipuli hic accedunt interrogantes, cum de hac re quæsti, iuxta D. Marcum, prius tacuerint?

3. PRIMO in hac quæstione inquirendum est: Quomodo stat id, quod Matthæus scribit, quod scilicet Discipuli accesserunt; nam Marcus refert, quod Christus quæsiuit ab eis, quid tractarent in via, ipsi autem tractabant, quis eorum esset maior. Et Lucas ait, quod intravit in eos cogitatio, quis eorum esset maior, quam videns Iesus videret, quod eos præuenerit, ac vocauerit, & quod ipsi non accesserunt.

4. Abulensis c. 18. Matth. quæst. 3. exilimat, quod Apostoli propriè non accesserunt; tamen cum D. Matthæus, ait ipse, voluerit euitare totam narrationem, ac illius principium descriptum à Marco, ideo expediens fuit, ut eos introduceret accedentes, & quærentes. Hæc sententia est reicienda, utpote aliena à fideli, ac sincera veritate Euangelica; non enim in historia enarranda Euangelistæ ponunt aliquod verbum, quod in facto non contigerit. Ergo cum Euangelistæ dicat, quod accesserunt, re vera de facto accesserunt. Secundò Eusebius Gallicanus homil. in Dedicatione S. Michaelis ait, quod Accesserunt utique Discipuli ad Iesum, non loquendo, sed cogitando. Audiebat enim Dominus eorum cogitationes. Quæ, ut scribit D. Lucas, erant, Quis eorum esset maior. At sensus est valde extortus; quod referantur accessisse ad Christum, dicentes hæc, quia illa cogitabant, & quod huiusmodi cogitationes nota essent Christo. Si hoc verum esset, etiam nos diceremus semper accedere ad Christum, quia omni tempore cogitationes nostræ sunt illi aperte.

5. Tertio. Barradas, Lucas Burgensis dicunt, quod Apostoli accesserunt vocati à Domino. Postquam enim Petrus rediit à piscatione quæsiuit ab eis Dominus, quid tractarent in via, illi verò ex pudore tacuerunt; sedens autem Dominus vocauit eos; & tunc accedentes Apostoli, ut scribit Matthæus, dixerunt: Quis putas maior est in regno celorum. Hæc sententia videtur fundari in textu Marci cap. 9. num. 34. vbi dicitur, quod Dominus resedens vocauit duodecim, & ait illis, Si quis vult primus esse, erit nouissimus. Hic dicendi modus est probabilis; tamen habet difficultatem, quia si Christus vocasset suos Discipulos, ad hoc esset, ut ipsi ab eo audirent doctrinam, ut natrat D. Marcus, & dicam sequenti §. Ergo cum Matthæus dicat, quod accesserunt quærentes; Quis maior est, innuit, quod non fuerunt vocati, quia tunc audirent loquentem Christum, & nihil ab eo quærent; sed quod accesserunt, tanquam ad quærendum aliquid à Christo.

6. Quarto. Probabilius mihi videtur dicendum, iuxta textum Euangelistarum, quod, cum omnes Apostoli, ac etiam Petrus veniens de piscatione, essent domi, Christus, ut scribit Marcus, ab eis quæsiuit, Quid in via tractabatis? At ipsi præuerecundia, quod ambitione essent adusti, tacuerunt. Postea verò, ut refert D. Lucas, iterum. Intravit in eos cogitatio, quis eorum esset maior. Cum

que ipsi Apostoli viderent, altercationes suas, ac cogitationes esse Christo apertas, minimeque ei posse abscondi: tunc, ut ait D. Matthæus, Accesserunt ad Iesum dicentes, Quis putas maior est in regno celorum? Et deinde resedens vocauit duodecim, ut scribit Marcus, ut altius, & sublimius attendere ad doctrinam, quam tradebat de puero, ac humilitate, de qua sequitur in toto hoc Euangelio. Inde hæc expositio mihi aptior, quia omnia dicta Euangelistarum in ea optime concinunt, & coherent.

Accedunt ergo interrogantes ad Iesum. Primò quia videbant emulationem suam omnino latere non posse, quam suppressam esse optabant. Sic sæpe plerique multa dicunt, & faciunt, non à suo beneplacito moti, sed potiùs à vi, qua se vident in arcto positos. Secundò Apostoli, ut gens sancta, & proba, quærit, Quis sit maior, ut discipulatio inde inter eos exorta amoueretur, & iam amplius inter eos nulla esset contentio. Tertio. Videbant se Apostoli in hac re, Quis maior esset, valde incertos, ac dubios, & ne amplius humano arbitrio fluctuantes, ac inconstantes sint; accedunt ad Magistrum, & ab eo quarunt: Quis maior in regno celorum? ut ita omni dubietate deposita rem certò teneant, ne amplius in sententia instabiles, aut vagi sint. Sæpe enim hæsitatio in voto, ac iudicio premit magnos viros, & pro huiusmodi re deponenda ad multa se exponunt.

Videt Moyses ardentem rubum absque eo, quod ab igne aliquam læsionem patiat, sed solita sua viriditate, ac consuetis floribus totus pulcher stabat. Tanta rei visione commotus ait: Vadam, & videbo visionem hanc magnam; quare non comburatur rubus. Exod. 3. num. 3. Cùmque maxime concitato cursu properaret ad locum, audiuit Dominum clamantem, ac ei dicentem: Non appropies huic; solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est. Statim detrahit calceis, ut ei erat imperatum, & aduertunt Expositores Abulensis, Lippomanus, Pereira, & alij, per illam terram totam spinis, ac tribulis sparsum, ac peracutis lapidibus repletam præcurrit ad rem tam mirabilem spectandam. Quomodo à tot vehementibus aculeis, qui asperrime pungebant, ac cruciabant, non retardatur? Et quod magis est, cum illam audirent terram sanctam, cur per eam incedere non refugit? Philo lib. de Profugis. Olim, ait, discendi cupidus, sollicitus est desiderio cognoscendi causas, quibus efficiuntur res in mundo maxime necessariæ; cum enim videret, quid quid creatum est, corrumpi, gignique, tum ea, quæ pereunt, & quæ permanent, obstupescens exclamauit dicens, rubus vritur, & non comburitur; locum enim antea inaccessum scrutatur curiosus. Videns magnum illud spectaculum Moyses, totus dubius, & anceps exitit in inuestiganda causa, cur ille rubus arderet, & non combureretur; rem magnam, & mirabilem toto animo versat; & tamen illius principium minime capit. Sollicitus est desiderio cognoscendi causas. Elegit tunc, potius tot spinis, ac tribulis, & lapidibus pungi, quam fluctuante animo dubius, ac anceps persistere; & ideo tot aculeis contemptis præcurrit, ut mirabilis rei agnoscat originem. Locum antea inaccessum scrutatur curiosus.

Fluctuatio, ac anceps in vtramque partem agitatio maxime ab schola, ac templo Dei exulat. Olim in veteri sacerdotio præscribit Deus ritus hostiæ offerendæ, & quasi animalis partes immolan

molandas, quæve negligendas fore. Offerent, ait Deus, de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem, & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque vniuersa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe, qui est iuxta reticulum iccoris cum renunculis, Leuit. 3. n. 9. & 10. Valde minutim discurret legislator, ac membratim portionem in animali, sibi dignam assignat iecur, renunculos, reticulum iccoris, & caudam. At maxime notatu dignum, quod cor, regium membrum, ac cæterorum facile princeps, utpote totius vitæ principium, reicit, ac negligit. Quid magis mirabile? mauult caudam, quæ satis est contemptibilis; & repudiat cor, cum sit electissima pars, & cæteris præferenda? Philo Hebraus lib. de Sacrific. Abel, & Cain. Equidem tria video, ait, in sacrificiorum ordine præcipi, ut offerantur præ cæteris vitæ partibus adeps, renes, fibra iccoris, nufquam cor, quæ alias consecrari oportebat. Rationem apponit, cur cor excludatur. Quia, inquit, principalis illa vis, cor inquam, singulis temporis momentis, vel ad melius, vel ad deterius mutabilis non manet eodè loco, quandoquidem nunc probata, nunc damnata moneta censetur. Piè, ac sanctè procul à Dei ara relegatur instabile, ac fluctuans cor, cum valde anceps, ac inconstans sit; singulisq; momentis, vel ad melius, vel ad deterius mutabilis. Seligat Deus sibi deteriore animalis partem, quæ constanter suam habet bonitatem; respuat verò præexcellens, variam, & incertam, cum modò huic, modò illuc in varias vices reciprocetur. Valde suspecta est bonitas, quæ inconstantia laborat.

7. Discipulatio assumenda. Dubietas animi deponenda. 8. Abulens. Lippoman. Pereira. Philo. 9. Homo voluptuosus in corpore cruciari, quam dubio in mente premi.

desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum dolorum, & scientem infirmitatem, Itaiæ 53. num. 3. & statim subdit Propheta, Vnusquisq; in viam suam declinauit. ibidem num. 6. Cur, cum Dominus apparet in folio, circa illum stant, & suis alis volant altissimi spiritus, Seraphim nempe; at verò in passione ab omnibus est derelictus, & vnusquisque ab eo recedit? Cùm Dominus se exhibet in throno, describitur etiam, Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Et iterum, Plena est omnis terra gloria eius. D. Thomas ibi. Quia vsque ad vltimas creaturas, quæ per terram intelliguntur, extendit diffusionem suæ bonitatis. Cùm ergo circa solium multa rerum copia appareret, ut suis largiretur, in eosque diffunderet; inde tam vehementi conatu circa illud stant, & volant Seraphim. At verò in passione, cum multa essent ibi sustinenda tormenta, & in qua tanquam vir dolorum, ac ut ouis ad occisionem duceretur, etsi omnium causam agat, nullus tamen ei altat, ab omnibus derelinquitur, & vnusquisq; in viam suam declinauit.

Lenit. 3.

Philo.

Variis, & inconstans reicitur à domo Dei.

10. Matth. 26. Ratio difficultatis.

11.

Omnes conuolant ad dona dantem; recedunt verò à patiente.

12. Itaiæ 6.

Itaiæ 53.

Per noctem venit dilectus ad ostium Animæ sanctæ, pulsâtque dicens: Aperi mihi, foror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Quæ statim cœpit se excusare dicens: Expoliam me tunica mea, quomodo induar illa? Cantic. 5. num. 2. & 3. Valde mirum, quod cum Anima maxime flagraret desiderio sui dilecti præsentia, modò multis se excusat, ut eum ad se intronit, ac in domo habeat. Per noctem hanc D. Paulinus Epist. 4. ad Seuerum intelligit noctem passionis Domini. Et Rupertus Abbas per guttas noctium interpretatur blasphemias, & contumelias Iudæorum in Christum iactatas, quas cum Anima audit; statim se claudit, ut eas declinet, & euadat; ac proinde multas excusationes profert, ut Dilecto non aperiat. D. Ambrosius lib. de Isaac, & Anima cap. 6. Audiens Anima, ait, Aperi mihi, & caput roris plenum, subito turbata, & quasi surrectura, quæ surgere iubebatur, cum aloè redoleret, & myrrham, insignia sepulture, ait, Exuiunicam meam. At verò, cum de ipso Dilecto audiret. Caput eius aurum optimum: ibidem num. 11. Manus tornantes aurea plene hyacinthis, num. 14. statim sodales ad Animam dilectam dicunt: Quo abiit Dilectus tuus? & quæremus eum tecum; ibidem num. 17. Cùm in eius capite, & manibus multa bona aurea apparent, ut suis præbeat, & communicet; statim omnes se exhortantur ut eum sequantur, eique adhæreant, ab illòque minime recedant, quem cum guttis passionum plenum audiunt, ut eum declinent, ostium non aperiant.

D. Thom.

Ad dona currunt, à laboribus fugiunt.

13.

Cant. 5.

Paulin.

Rupertus.

Anima passionem declinat, dona quarit, Ambros.

QVÆSTIO II.

Quare Discipuli hic accedunt ad Christum, cum in horto ab eo fugiant?

ACCEDUNT hic omnes duodecim Apostoli ad Christum; & tamen in horto, Relicto eo omnes fugerunt. Matth. 26. num. 56. Vnde tanta diuersitas, ut modò tanta promptitudine ad Dominum conueniant, cum in alio euentu tam celeriter ab ipso recedant?

In præsentem sese veluti ostentabat Dominus ad præclara, & excelsa munera concedenda, magnaque, & sublimia dona largienda, nempe ad maiorum in regno celorum prouidendum. In horto autem properabat ad crucem, & mortem subeundam. Et cum quis manus donis plenas haberet, statim omnes ad eum conuolant, & currunt; à quo maxime recedunt, cum aliquid doloris, ac afflictionis ei imminere vident: nam sicut dona cunctos alliciunt ad sui participationem; ita tristitia vniuersos remouent, ne eos apprehendant.

Videt Itaias cap. 6. num. 1. gloriam Domini, ac maiestatem, & ait: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex ale vni, & sex ale alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Apparet Deus in ipso maiestatis throno, & circa illum stant, & volat Seraphim cantantes: Plena est omnis terra gloria eius. Postea vero ipsemet Propheta conuertit oculos ad laboriosam Domini mortis, ac passionis tempestatem, in qua tanquam ouis ad occisionem ducebatur; de quo ait: Vidimus enim, & non erat aspectus; &

QVÆSTIO III.

Qui fuerint isti Discipuli, qui hanc quæstionem Christo proposuerunt?

OMINE Discipulorum hic intelliguntur Apostoli, hi enim erant constituti à Christo principes, ac primates totius Orbis, ac proinde solum inter eos poterat esse quæstio. Quis esset maior in regno celorum? Hæc autem disputatio excitata est inter ipsos Apostolos, aut inter eorum magnam partem, ut tenet Abulensis quæst. 6. & patet ex D. Marco: nam Christus interrogauit eos, Quid

14.

Quæstio inter Apostolos. Abulens.